



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola X. Innocentii Papae I. Familiariter salutat sanctos Dei sacerdotes,
Aurelium Carthaginensem & Augustinum Hipponensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

& nullo diffidente, vxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re, domine fili merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat gratia diuina fundatum: conuentumque secundæ mulieris, priore superstite, nec diuortio eiecta, nullo pacto posse esse legitimum.

E P I S T O L A X.

I N N O C E N T I I P A P Æ I.

Familiariter salutat sanctos Dei sacerdotes, Aurelium Carthaginensem & Augustinum Hippionensem.

Innocentius Aurelio & Augustino episcopis.

ACCEPTISSIMI mihi germani compresbyteri illo re cursus vacuus officio vestro esse non debuit. Per caros enim salutare carissimos, naturale quodammodo videtur & consequens. Gaudere igitur in Domino vestram germanitatem, amantissimi, cupimus, & pro nobis paria ad Deum vota rependere precamur: quia (vt bene nostis) communibus & alternis plus agimus orationibus, quam singularibus aut priuatis.

E P I S T O L A XI.

I N N O C E N T I I P A P Æ I.

De ratione paschali ad eumdem Aurelium.

Innocentius Aurelio.

CARITATIS nostræ officium nullo interuallo dirimitur, etiam si charta nullos apices ferat. Viuit enim spiritualis gratia alternis in cordibus, & amorem nostrum confouet sacerdotalis ipsa societas. Cur ergo indignum est vnitatem ecclesiæ^{* custodiri?} Idemque omnes pariter & sentiamus & pronuntiemus, frater carissime. Has ergo literas de ratione paschali alterius (dico futuri) anni præscripsi. Nam cum ante diem vndecimum Kalendarum Aprilium pene luna 16. colligatur, (nam quidpiam minus est) itemque cum in ante diem quartum Kalendarum earumdem veniat 23. existimauit II. Ka-

D iiij